Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift



frvm. & finitis uesperis. ipse quoque cum ceteris nocturnales induit. Post 225
cenam procurat ut mense ex toto scopentur. Sui iuris est cultellum domni
abbatis seruare. & in scutella sicut & coclear ei apportare. Ipse non alius
cum manutergio affert ei panem. quem patrina reuerentia ex usu poscit
communi esse meliorem. Siligeneum panem semper debet in promptu ha
bere. ut cum aliquis pro hoc signum facit. vel sua sponte fratribus quos libenter hoc
uesci nouit. statim dare possit. Nam nullius generis panis in refectorio
comeditur. quia non ab ipso ex consuetudine deferatur. non tamen cum manuter
gio alicui nisi soli domno abbati. Reliquias panis tam pro refectione ministrorum
quam fratrum cum cophinis ipse per consuetudinem aufert. nisi quando ad elemo
sinarium pertinent. Possunt etiam si adeo sero est cena ministrorum cum micis ac
cipi. ne propter hoc diutius debeant immorari. Si contigerit aliquem ante col
lationem reficere. illi refectorarius panem & potum debet ministrare.
Quicumque vero postea reficit. huic cellerarius necessaria ministrabit.
Ad mandatum cum quo cymbalum percussurus egreditur. ipse continuo subsequitur.
Cymbalum & scillas in parasceue lauat. & in eo loco malleolos
ligneos quos a decano uille accipit. item procurat. Hospitibus superuenien
tibus prout uidet eis dari stationem in choro. ipse quoque dat sedendi locum
in refectorio. Quibus & iusticias nouit lotas si opus est ut lauentur repo
nit. Nam propter hoc quotiens aliquis vel exiturus vel de itinere rediens benedic
tionem accipit. ipse vel adiutor eius diligenter perspicit. quia vel quot fratres bene
dictionem tunc accipiant. ut sciat iusticias de mensis auferre.
aut si opus est locum demonstrare. & iusticias apponere. obseruans
ut nullum fratrem ad mensam alterius vel inferius collocet. quia scit eius ordinem
esse. Item ad illum pertinet. ut omni die dominica. & feria v. post capitulum illa
manutergia que in claustro pendent. ad tergendas manus mittet.
item ut sciat in quibus diebus mense ex toto cum mensalibus sint cooperi
ende. Et hoc est quotiens cuncti fratres ad alterutram missam albis indu